

**1985-10-30 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Quotiescumque De Gloria’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***QUOTIESCUMQUE DE GLORIA***

**SINITUR EPISCOPUS LUBLINENSIS IMAGINEM B. M. V. CORONARE,  
QUAE IN LOCO KAZIMIERZ, IN FINIBUS POLONIAE, PIE A FIDELIBUS COLITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Quotiescumque de gloria atque laude beatae Mariae Virginis agitur hic in terris augenda, aequissimo semper animo ac serenissimo gaudio patentibus Venerabilibus Fratribus Episcopis concedere consuevimus: hinc enim Fratres petunt, «Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi» (2 Cor 8, 13); hinc praesertim Christi Matris causa agitur, quod est nobilissimum generis nostri decus, caelestium gratiarum fons perennis, omnium denique virtutum exemplar egregium. Qua re, cum Venerabilis Frater Boleslaus Pylak, Episcopus Lublinensis, iam ab hac Apostolica Sede petierit, ut veneranda imago B. M. V., «Casimiriensis» cognominata, quae in templo Ordinis Fratrum Minorum Reformatorum, in loco Kazimierz, a Polonis pie colitur, nomine et auctoritate Nostra pretioso diademate redimere posset, libenter quidem ei hanc potestatem facimus, scilicet in maiorem Dei honorem atque in augustissimae Christi Matris hominumque Parentis laudem insignem. Poterit ergo Venerabilis Frater Boleslaus Pylak, quem memoravimus, vel per se, vel per alium quem aptius iudicaverit, quo die sane placebit, imaginem beatae Mariae Virginis «Casimiriensem» coronare nomine et auctoritate Nostra, stata ac sollemni caeremonia, et ea quidem ratione, qua sincera populi fides erga Deum, pietas in Virginem, religio Christi sancta, accrescat in pectoribus.

Ceterum, quae per has Litteras statuimus, in perpetuum valeant, contrariis nihil obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXX mensis Octobris, anno MDCCCCLXXXV, Pontificatus Nostri octavo.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*